

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.

Phaedrus

Rintelii, MDCCXXXVIII

VD18 13044567

Fab. XXIX. Asinus irridens Aprum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17134

dam. Re desperata vulpes ab ara torres confestim rapit, atque cingit totam arborem flammis: vt parem hosti offerret dolorem ex interitu pullorum, incendio quos misere minabatur extinguere. Tum aquila supplex incolumes vulpi reddidit catulos: vt suos quoque trementes pullos praesenti mortis periculo eriperet.

FAB. XXIX.

Asinus irridens Aprum.

Plerumque stulti risum dum captant leuem,
Graui distringunt alios contumelia,
Et sibi nociuum concitant periculum.

Asellus Apro cum fuisset obuius:
Salue, inquit, frater. Ille indignans, repudiat
Officium, et quaerit, cur sic mentiri velit?
Asinus, demisso pene: si similem negas
Tibi me esse, certe simile est hoc rostro tuo.
Aper cum vellet facere generosum impetum,
Repressit iram: et facilis vindicta est mihi: 10
Sed inquinari nolo ignauo sanguine.

*Facile iocularis audacia nocet: rebus seriis
seueritatem adhibe, iocosis leporem.*

Stulti, dum ingeniosi videri volunt, risumque captant, plerumque alios graui afficiunt iniuria, ac sibimet ipsis maxime nocent. Asellus, cum forte obuiam venisset apro, salue, inquit, frater. Iste contra indignatus noluit ab ignauo ita salutari: cur, inquit, tam manifeste non dubitas mentiri: cum ego tibi nulla parte similis, nec frater tuus vlllo modo esse possim. Asi-

Asi-

Asinus membrum iactat suum, et hoc tamen, pergit, rostro tuo est simile: si me negas similem esse tibi. Aper cum vellet magno impetu irruere in lasciuum, et vindicare contumeliam: animo generoso repressit iram: et facile, dixit, ego quidem scelus tuum punire possem: sed ignauo sanguine maculari nolo.

FAB. XXX.

Ranae metuentes Taurorum proelia.

Humiles laborant, vbi potentes dissident.

Rana in palude pugnam Taurorum intuens,
 Heu, quanta nobis instat perniciēs! ait.
 Interrogata ab alia, cur hoc diceret,
 De principatu cum decertarent gregis,
 Longeque ab illis degerent vitam Boues.
 Est statio separata, ac diuersum genus,
 Sed pulsus regno nemoris qui profugerit,
 Paludis in secreta veniet latibula,
 Et proculcatas obteret duro pede. 10
 Caput ita ad nostrum furor illorum pertinet.

Nulla salus bello.

Infimae conditionis homines periclitantur, suaque sentiunt incommoda, vbi principes constituunt de iure publico disceptare armis. Rana, cum in palude tremens eiulansque tauros pugnare conspiceret, heu! inquit, quanta calamitas iam nobis imminet. Tum alia timoris et querelarum ex ea causam quaerit: cum boues de principatu gregis certarent, et procul ab illis sua pascua seruarent. Est, factor, respondet, illis statio separata, et genus plane